Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



64

quemadmodum puto cervus de

sideravit ad fontes aquarum. Sitivit anima mea ad deum fortem vivum. quando veniam et apparebo ante faciem dei. Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte dum dicitur mihi per singulas horas. ubi est deus tuus. Haec recordatus effundam in me animam meam quoniam transibo in locum tabernaculi usque ad domum dei in voce exultationis et confessionis sonus epulantis. Quare tristis es anima mea et quare conturbas me. Spera in deo quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei et deus meus. Non negat hic venia qui vult ut homo agat gratias. Ecce gratias agit qui habitat in domo domini. Quid est homo quod memor es eius. Et filius hominis quoniam visitas eum. Minuisti eum paulo minus ab angelis gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Oves et armenta universa insuper et pecora campi. Volucres caeli et pisces maris. Qui perambulant semitas maris. Domine dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Gloria patri et filio et spiritui sancto